

C Sto. D

Beatissime Pater,

Infrascripti Patres Conciliares, Commissionis "De Doctrina Fidei et morum" Sacrosancti Concilii Oecumenici Vaticani II sodales, coram Deo et pro conscientia audent reverenter Sanctitati Vestrae animum pandere.

Labor praedictae Commissionis non potest fieri ea alacritate ac methodo quibus uti necessarium esset ut textus sine nimia mora proponi possint, hac praecipue de causa quod Em. mus Praeses, Cardinalis Alafridus Ottaviani, magis laboribus obstacula parat quam solutiones affert.

Ut res magis eluceat conabimur ad tria capita quae-relas nostras reducere.

1) Em. mus Praeses in sessionibus moderandis nimis partialiter procedit, nam constanter se inclinat pro una sententia potius quam, supra disputatas opiniones existens, ut verus moderator liberæ disceptationis coram omnibus sodalibus apparat, suam propriam quidem sententiam in fine proponendo. Ipse etenim unicuique Patri ei non consentienti immediate contradicit, non sine inutili ac fastidiosa disceptationis protractione.

2) Ex ipse desiderio propriam sententiam imponendi non semel accidit ut, postulata ab aliquo Patre de re iam sufficienter discussa suffragatione, Em. mus Praeses, quin petitionem verbis recuset, eam practice et callide praeterit, si timor adsit ut suffragatio eius opinioni contradicere praevideatur.

3) Hac ultima periodo qui mirum bis accidit in constitutione subcommissionum, Em. mus Praeses, ex sese potius quam ex membrorum ipsorum sententia proposuit commissiones ita constituendae ut maioritatem mentium membrorum non repraesentent, quod quidem factum est. Hoc autem praebet facilitatem determinandi resolutiones ad mentem minoritatis, ~~ut~~ quod nobis gravissimum esse videtur, cum certe minoritas commissionis maioritatem ipsorum Patrum non repraesentet.

Posset quis dicere omnia haec nobis fortiter repugnantibus non evenisse, attamen fatemur nos non his procedendi modis assuetos esse, reverentia erga Em. mus Praesidem non parum impediri et moraliter non posse in unaquaque sessione oppositiones excitare.

Dolendum etiam est quod Em. mus Praeses ita caecutiens sit, ut non possit ea quae discutiuntur perlegere; inde est quod saepe argumenta disceptationis non eo ordine ac methodo pertractantur quae pro bono exitu requiruntur. Semel in sessione accidit ut Em. mus Praeses sodalem absensem ad loquendum vocaverit, et frequenter licentia loquendi a Patribus vel peritis expostulata iisdem non concedat eo praecipue quod Praeses eos non videt.

His breviter expositis, audemus mentem nostram altissima qua par est reverentia ac devotione Sanctitati Vestrae significare:

Si Em. mus Praeses nostrae Commissionis non substituitur, et forsitan per sodalium electionem, difficultates fere insuperabiles enascentur ita ut infaustum adsit periculum spem tanti Concilii defraudandi.-

Et Peus